



LA B. CATTERINA DA BOLOGNA. FOND. DEL MON. D. CORPVS XPI.

B. CATHARINÆ VIRGINIS BONONIENSIS SPECIALIORA VITÆ, ET MORTIS PRODICIA SACRO HYMNO CONCIINNATA.

Virgo iam totum celebris per Orbem,
Stella nunc summo rutilans Olympo,
Quas tui fundunt CATHARINA serui
Accipelaudes,

Qua die intactæ GENITRICIS ortus
Gentium cunctis memoratur oris
Stirpe ab illustri veniens tulisti
Munera vitæ.

Grande te lumen fore prædicauit
Nymphe coelestis; teneris sub annis
Lactis experti tribuit palato

GRATIA pastum.

Flore sub primo viridis inuenta
Sæculi pompis, opibusque pretiis,
Prodiga dextra miserans egenis
Cuncta dedisti.

Nutibus verò monita à paternis
Felsinæ sedes patrias relinquens
Nomen à FERRO retinentis VRBIS
Tecta petisti.

Aulicos inter sociata cætus,
Vndique ingenti decorata fastu,
Attamen casto ingenuum tulisti
Corde pudorem.

Negligens autem nimios honores,
Ambiens tantum tacitos recessus,
Cor Deo æterno fine labe sacra in
Æde sacrasti.

Hinc Dei infixam pharetris amoris
Feruido accensam charitatis igne
Crine te tonlo rapuere Claustra
Dedita CLARÆ.

Credit hic veræ pietatis ardor
Cuncta contemnens animo virili,
Iustinens morbos, inopemque vitam
Pectora fortæ.

Mentis æterno decorata flatu
Tartara ut posses domitare Monstra,
Orbis, & fraudes superare SEPTEM
ARMA parasti.

Viribus morbo domitis Sororum
Dexteram citè medicam reportas,
Ac pedem ferro rigido refecisum,
Ipsa reuincis.

Nocte Natalis superi Monarcæ
Mille post laudes MARIAE relatas;
Proprias CHRISTO puero inter vlnas
Ocula figis.

Dogmata ut sacri memorata Verbi
Aute captares, Cereris relicta
Clibano ardenti pretiosa dona
Non cremat ignis.

Inter orandum vigili labore
Membra depulso tenuata somno
Alleuat THOMAS monito suavi
CANTVARENSIS.

Dum Sacredotes Sacrosancta tractant
Rapta coelestes Superum inter aulas
Angelorum audis resonare cætus
Laude perenni.

Supplici in Cœlum prece vota fundens,
Mente, & imbuta placido sopore
Auream sedem tibi præparatam
Cernis in astris.

Ne tamea tantus charitatis ignis
Lumen hoc ingens daret extrâ sphæram,
Patrum ad litus reuocata nostra
Limina tangis.

Illuc Corpus vigor almus intrat,
Et canunt læti Pueri per Vibem:
Quæ venit nobis benedicta semper
Iø triumphè,

Feruidis quamvis precibus abactum
Præsidis munus sacra Claustra donant,
Et tua demum ditione gaudent
Ipsa teneri.

Astra cum noctis tenebris niterent,
Ad Polum fixos oculos revoluens
Syderum Regem Supera sedentem
Conspicis arce.

Cuius à dextris erat Alma MATER,
Angelorum alta resonante turba:
GLORIA illius rutilabit in te
Omne per ævum.

Nocte dum tota Dominum precaris,
Ut reo mortis veniam reportes,
Anxijs votis Deus ipse pronas
Porrigit aures.

Morte prævisa, meritò libellum
Admones tradi varijs tabellis,
Fructum ut à tantis monitis futura
Sæcula ferrent.

Mortuum Corpus fouea sepultum,
Atque fragranti redolens odore
Indicant claris radiis superna
Sydera Cœli.

Membra ter seno spatio dierum
Tecta de terræ tumulo trahuntur,
Naribus pressis tribuitque primam
Dextera formam.

Dum super celso traheris pheretro
Ter caput sacram veneratur Aram,
Sanguine, & fuso relevantur ægra
Corpora morbo.

Præsidis nutum sequeris sedendo;
Nocte & apprens media Sorori
Quo loco monstras positum Fideles
Corpus adorent.

Hic tibi fertum tribuere Reges,
Hic manes cunctis venerata; iamque
Musta bis centum, totidemque meses
Præterierunt.

Ergo te SANCTAM vocet Alma Roma,
Debitos nostra, & ferat Vrbis honores,
Numine ut nobis faueas secundo
Rebus in artis,
Canticum pleno referamus ore
Cœlitum Regi, Soboli increatæ,
Flamini & Sancto: Deus almus vnu
Ordine trino. Amen.

ANTIPHONA.

Sponsa Iesu amabilis, CATHARINA
Virgo, que nunc in æterna Patria
sublimaris, almis tuis precibus fac nos
confortes coelestium Ciuium quibus col-
letaris.

¶ Ora pro nobis Beata CATHARINA.
¶ Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

O R E M V S:

Concede nos famulos tuos, Deus,
Beatae CATHARINÆ Virginis Su-
fragijs adiuvari, cuius odore vnguento-
rum trahimur ad tua sancta latentes. Per
Dominum nostrum, &c.

Dispensato dal Chierico Maggiore Arrista.
Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1631.
Superiorum permisso.

SPECIATORIA ALVÆ ET MOLYTRÆ PRODICIA